

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0988

0986

0992

0982

0997

0977

1037

0937

1087

0887

0487

Ende

Anfang

415

excitant, et tenuis arena et terrae pulvis elevatus in altum
apparet esse fumus ab igne.

Porro, die advesperascente ingressi sumus regionem, cujus
montes, colles et humilior terra et omnia, quae apparebant,
erant alba. Interea in unum torrentem venimus, quem nomi-
nabant Gayan, in quo tentoria fiximus in albissimo solo. Ibi
cum multis laboribus et discursibus vix potuimus congregare
materiam pro igne, non duo ligna, quia nulla ibi penitus erant,
sed arida arbustula, quae tempore remissi fervoris humore ha-
bito de terra saliunt et ad solis tactum arescunt, et sunt po-
tius herbae quam arbusta. Sunt autem omnia ita reperta spi-
nosa et odoris aromatici et fumum suavem faciunt. Coximus
ergo et coenam fecimus, sed et nostri camelarii et asinarii col-
legerunt cumulum sarmentorum ad coquendum sibi subcineri-
ceos panes, quos sic faciunt. Incendunt ignem copiosum et juxta
ignem expandunt pellem in terram et super pellem effundunt
farinam, quam secum ducunt, in quam aquam fundunt et pa-
stam faciunt. Pasta parata et in panem latum et tenuem for-
mata et sarmentis igne consumtis, carbones removent a loco,
ubi ignis arserat, et pastam ad locum calidum illum ponunt
eamque cineribus et carbonibus cooperiunt, et ita coquitur et
fit panis subcinericeus valde sapidus. Mox autem accepto pane
calido in frusta et morsellos confringunt in unum capisterium
et oleum olivae superinfundunt, impinguantes morsellos, et
ita manducant, sicut nos offas solemus manducare. Et quando
istum cibum comedunt, gaudent et aestimant se regalibus
deliciis frui. Quando vero ignem habere non possunt, soli
suum cibum coquendum exponunt, in mediis enim aestibus diei
ardor fornaci Babylonis comparatur, tanta enim vis solis est,
ut quibuslibet coquis ad pulmenta sufficiat, unde S. Pastumius
vidit in deserto ollam cum oleribus sine igne fervere, ut ha-
betur in Speculo Histor. L. 19. C. 14. Carnes autem assant
inter lapides a sole calefactos, ut dictum est supra Fol. 25. (b)
Igitur in illo sero incepimus cibos de nostra (**31 a**) provisione
accipere, quia omnia recentia, quae de Gazara tuleramus, con-
sumpta erant. Cum autem jam sol occasum petiisset, jussit
Calinus ignes ex toto extinguere, ne quidem favilla aut scin-
tilla in tenebris reluceret, et commisit diligentius vigilare,

